DE

ERYSIPELATE EXANTHEMATICO.

SPECIMEN INAUGURALE;

QUOD

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

HALENSIS,

PRAESIDE

CURTIO SPRENGEL,

FAC. MED. DECANO AC SENIORI,

UT

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE
ET CHIRURGIAE

LEGITIME CAPESSAT,

DIE XXV. MART. CIƆIƆCCCXXVI.

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS KISTENMACHER

TEMPLINO - MARCHICUS.

HALAE,

TYPIS HENDELIANIS.

VIRIS

CELEBERRIMIS, ORNATISSIMIS, DOCTISSIMIS,

IOAN. CAROLO LOHMEYER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EXERCITUS REGII BORUSSICI, REGIMINIS MEDICO-CHIRURGICI PRAEFECTO SUPERIORI ETC.

NEQUE MINUS

DANIEL STÜVE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PRAEFECTO RERUM MEDICINALIUM IN LEGIONE PEDESTRI TRICESIMA PRIMA EXERCITUS REGII BORUSSICI ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS ANIMI GRATI
TESTIMONIUM

D. D. D.

AUTOR.

PROOEMIUM.

Cum campus medicinae permagnus tantam rerum cognoscendarum diligenterque colendarum copiam praebeat, et medicum, tironem, res quas non nisi aliorum experientia novit, tractare plane dedeceat, in hoc ſpecimine inaugurali descriptionem morbi, quem ipse ſaepissime observavi, proponam;

praesertim cum multi iique celeberrimi auctores eadem de re disserentes peccasse mihi quidem in dignoscendo morbo videantur. Rem ipsam aggrediamur.

Introductio.

Erysipelas, vernacula Rothlauf, Rose, antiquissimo nomine insignitur cutis affectio inflammatoria, quae vel cum febre vel ſine eadem apparet, et a variis causis oriunda vario modo et ſpatio decurrit. Eandem hac in re ſententiam, quam plurimi et antiquiores et recentiores mēdici proposuerunt, ſequor. Quamquam etymologia docet, nomen Erysipelatis, quod deducitur ab ἔρυσος pro ἐρυθὸς i. q. ἐρυθρὸς (ruber) et πέλας, πέλος i. q. ἕλκος (tumor ulcus) [1] quemvis cutis ruborem ſignificare posse; tamen *Frank* [2] *Burserius* [3] *Hoffmann* [4] *Hufeland* [5] aliique jam pridem praecipua morborum, quos nomen complectitur, dis-

---

1) *Schneider* et *Riemer* ſ. v. Ἐρυσίπελας.

2) *Frank* de curand. h. m. Epitome l. 3.

3) *Burserius* Instit. med. pract. Vol. 2.

4) Med. System. p. 1. Cap. 13.

5) System d. pract. Heilk. B 2.

crimina enumerarunt et nuper *Rust*[1]) diligentissime distinguens imflammationem, causis idiopathicis excitatam, nomine Pseudo-Erysipelatis, ab aliis, quae exanthema attrahunt, has erysipelatis exanthematici nomine insignivit. Hujusce posterioris morbi diagnosin, aetiologiam et curationem sequentibus explicabo.

Morbi diagnosis.

In omni Erysipelate exanthematico symptomata quaedam et universalia et topica animadvertimus, quae in quatuor stadia: stadium prodromorum, eruptionis, incrementi et decrementi, dividi possunt; quamvis haec stadia natura saepius non discernenda sint.

Stadium prodromorum.

Cum irritamentum vim suam morbi provocandi exseruit, aegrotus aut diutius aut brevius ante eruptionem ipsam, lassitudinem, gravitatem membrorum, cupiditatem dormiendi, sensum molestnm praecordiorum atque anorexiam sentit. Haud raro accedit

1) Magazin B. 8. Heft 3. p. 506. etc.

vomituritio et vomitus, quo non ſolum cibus assumtus ſed etiam bilis ejicitur. Morositas, capitis dolor, anxietas, ſpiritus angustior, ſitis et ſomnus crebro abruptus aegrotum, cujus lingua ſubalbida ſeu flavescente pituita vestita est, affligunt. Symptoma aliud non minus insigne, aegrotum nempe timore ſe Erysipelas perpessurum esse, angi, nonnulli ſcriptores memorant. Secundum mali erumpentis gravitatem et aegroti corporis habitum ſymptomatum modo dictorum intensitas et numerus differt ita ut alii omnino alii plus minusve toleranda ſint. De huius ſtadii et totius morbi decursu medici discrepant; ſecundum Burserium [1]) morbus ſeptem, ſecundum *Vogel* [2]) quatuordecim dies percurrit; raro tamen ſymptomata ultra diem ante eruptionem morbi ipsius observabantur. Praeterea notandum est, Erysipelatis decursum non valdopere differre et quod auctores hac de re ſcripserunt, ratione nititur ut morbi ad Erysipelas ipsum adnumerentur, quorum facies externa cum Erysipelate ſimilitudinem quandam referunt.

---

1) l. c. §. 20—21.

2) Handb. d. p. Arzneiw. Th. 3. S. 319.

Stadium eruptionis.

Hoc ſtadio ſymptomata ſupra dicta creſcunt, et Eryſipelas aut ſimul cum impetu febris erumpit, aut febris (ut ſaepissime fieri ſolet) eruptioni antecedit. Horror et frigus, quod ardor ſequitur, aegrotum vexat. Pulſus arteriarum inchoante frigore parvus, celer, contractus; minus contractus et celer est, dum ardor ingruit. Quodsi cum febre eruptio eryſipelatis non conjuncta est, haec intra diem, biduum aut triduum accidit; tum febris desinit, aut graviori malo inflammationis ſe comitem praebet [1]). Secundum febris vehementiam et partem inflammatam ipsam etiam hoc ſtadio ſymptomata differunt. Delirium et ſopor altissimi gradus febris, praecipue eryſipelatis faciei comites ſunt, quod *Vogel* [2]) *Richter* [3]) aliique jam commemorant, et ego ipse ſaepius expertus ſum. Symptomata topica ſunt: rubor levis pallidus, ſplendens, flaveſcens, haud limitatus, qui digito preſsus evanescit, digito remoto autem redit. Tumor levis et planus et dolor pungens plus minusve urens; huc accedit chara-

1) Hufeland's System. B. 2. p. 228.

2) de cognosc. et cur. praecip. affectib. c. h. p. 195.

3) Anfangsgr. der Wundarzneik. T. I. p. 108.

cter febris, quem ſymptomata et universalia et topica ſequuntur; est plerumque inflammatorius cum ſtatu bilioso; ſaepius quoque nervosus et putridus.

Stadium incrementi.

Hoc ſtadium ſymptomatum localium augmento, decremento autem febris vulgo ſtipatum est. Haud raro nunc in tumore inflammato pustulae lenti, piso ſeu fabae pares, mox dispersae mox confluentes apparent, quae Erysipelatis, quod hac de causa a medicis Erysipelas pustulosum, bullosum, vesiculare et miliare appellatur [1]), varietatem designant.

Stadium decrementi.

Stadium hoc incipit, ſi ſymptomata morbi et universalia et topica plane evanescunt. Febris, quae aderat, plane cessat, aegrotus melius ſe habet, edendi appetitus et ſomnus redeunt; dolor, inflammatio et ardor minuuntur, rubor colorem ſubflavum induit et cum pruritu cutis desquamatio furfuracea incipit. Plerumque tamen ſymptomata uni-

1) *Konsbruch* klin. Taschenb. p. 387.

versalia critica ſudor, profluvium ſanguinis e naribus, diarrhoea et urina, quae ſedimentum in fundum mittit, morbi exitum comitantur. Idem *Frank* [1]) *Burserius* [2]) et *Vogel* [3]) obſervarunt.

Morbi analogia.

Morbus plerumque a ſcriptoribus confunditur cum ſimplici inflammatione cutaneà: apud *Kluge* [4]) Erythema, nec non cum malo, quod in ſpecie apud *Rust* [4]) Pseudo-Eryſipelas, apud Burserium Eryſipelas ſymptomaticum [5]) appellatur. Prior cognoscitur:

a) ex eo, quod nunquam febris inflammationi antecedit, ſed ubi adest, in decursu accedit.

b) ex ipsis causis, plerumque manifestis absolute externis.

c) rubor ab Eryſipelatis exanthematici rubore

---

1) Epitome. l. c. §. 232.

2) Instit. med. Vol. 2. §. 21.

3) l. c. §. 246.

4) *Rust's* Magazin l. c. p. 525.

5) l. c. §. 19.

distingui potest. Deest enim huic nitor Erysipelati peculiaris. Praeterea rubor magis circumscriptus est in cutis inflammatione.

d) ſtadia Erysipelatis in inflammatione haud observare licet; usque enim ad ſtadium Acmes crescit et tunc evanescit. Decursus in genere non tam regularis observatur.

c) inflammatio locum, in quem causa agebat, ſervat; ideoque est constans et minime fugax.

Pseudo - Erysipelas hisce vero criteriis ſat manifestis, tum ab inflammatione cutanea, ſtimulis externis inducta, tum ab Erysipelate exanthematico distinguitur:

1) pars affecta minus calet et minus adstricta est, quam in Erysipelate ſed mollior interdum, ſubinde vero dura et nodosa comprehenditur, ſaepenumero protinus ab initio manifesta ſentitur fluctuatio.

2) rubor inflammatorius non adeo aequaliter diffusus, ſingulis locis magis ſaturatus apparet, et passim violaceum imitatur colorem.

3) Rubor quidem, ſi digito premitur, evanescit, ſed diligentiori attentiorique observatione animadvertimus, ruborem non plane evanescentem, ſed punctum rubrum in medio remanens.

4) aegrotus dolorem haud ardentem ſed pulsantem, membro penitus insidentem et inflammationis erysipelaceae gradum longe ſuperantem conqueritur.

5) nullo modo cum inflammationis gradu partis tumor, verum tamen cum dolore rationem justam habet.

6) dolor et nodosa cutis degeneratio ſaepissime cutis inflammationem praecedunt.

7) inflammatio orta longius, tardius vero extenditur et quasi per partem affectam ſerpit.

8) quoad exitum remedia discutientia frustra adhibentur, ſed malum paullatim chronicum evadit et inopinato loca quaedam ſubsidere magis quam elevari observamus et fluctuationem vel obscurius vel luculentius denunciare gangraenam, aut destrui partes adjacentes.

9) in morbi initio causas quascunque externas deesse, quae ad cutis inflammationem vulgarem gignendam aptae ſunt.

De morbi exitu

Exitus Erysipelatis optimus (ut etiam plurimum fit) est ſolutio, quae incipit, ſi rubor, tumor et dolor ſensim evanescunt et epidermis ſecedit. Quamquam plures de Erysipelatis exitu in ſuppurationem loquuntur, tamen *Rust* et *Kluge* [1]) Erysipelas verum nunquam abire in ſuppurationem profunde descendentem ſatis docuerunt, et ſi res ita ſe habet, erysipelas alio cum morbo permixtum esse argumentis confirmarunt. Quodsi ſuppuratio, qnam *Richter* [2]) praecipue in Erysipelate pustuloso et *Rust* [3]) in constitutione corporis cachectica observavit, apparet, ulcera parva, ſuperficialia conspiciuntur, neque, quod ex horum autorum observationibus comperimus, ſphacelus partium inferiorum ſequi consuescit. Praeter exitus ſupra dictos Erysipelas ſatis proclive est ad regressum, quo pectoris, jecinoris et abdominis inflammationes cientur; quod *Hippocrates* [4]) aliique e. c. *de la Motte* [5]) *v. Swie-*

---

1) Magazin. l. c. etc.

2) l. c. p. 112.

3) l. c.

4) Aphorism. ſect. 7. p. 25.

5) Chirurg. Th. I. obs 92.

ten[1]) *Frank*[2]) annotarunt. Hac de causa medici Erysipelas fixum et migrans discernunt. Occasionem repellendi erysipelatis praebet frigus repente corpore exceptum, terror et adstringentium et humidorum medicamentorum usus, denique vergens eo popularis constitutionis ingenium.

Aetiologia.

Si ſpectas causas hujus morbi proximas, de his multi ſcriptores plane tacent, aliique ex parte tantum eas explicant. *Reil*[3]) inflammationem vasorum cutis, praecipue ſuperficiei externae corii, *Hufeland*[4]) inflammationem vasorum exhalantium et *Richter*[5]) inflammationem cutis lymphaticam, forsan cutis glandularum, nunquam profunde descendentem, causam proximam habet. *Callisen*[6]) a *Bernstein*[7]) taxatus, inflammationem ſpuriam, biliosam a cohibita cutis

1) Commentar in Boerhav. Aphor.
2) l. c. p. 29.
3) Kur der Fieber. B. 2. 329.
4) l. c. p. 127.
5) Specielle Therap. B. 2. p. 185.
6) Callisens System etc. p. 20.
7) Handb. f. W. A. 589. p.

exhalatione ſeu bile acri oriundam adesse contendente, inflammationem ambiguam esse causam Erysipelatis poximam proponit. *Vogel*[1]) vasa ordinis ſecundi et fines vasorum exhalantium, neutiquam vero arterias, ut in phlegmone, corripi et ſeri lymphaeque mixtionem, non ſanguinis mutari opinatur, quae ſententia posterior *Platnero*[2]) jam placuit.

Ut taceam multas alias ſententias, inflammationis ſedem exponere conantes, dubitari ut mihi videtur non potest, quin Erysipelas proficiscatur ex inflammatione cutis; quam ſymptomata essentialia, rubor, tumor et ardor luculentissime demonstrant. Tamen neque ſede neque externis phaenomenis natura et indoles Erysipelatis propria explicari posse mihi videntur, praesertim, cum experientia hanc eandem inflammationem ab irritamentis mechanicis et chemicis provocatam nunquam partes inferiores petere doceat et confirmet. Difficile mihi non videtur Erysipelatis naturam e causis deducere; nam, omnium prope auctorum consensu, praecedere interpellationes functionum organorum

---

1) l. c. p. 185.

2) Instit. Chir. §. 160.

reproductionis, praecipue cutis, tractus intestinorum, jecoris, consuescunt. Quomodo vero hae perturbationes in organum centrale circulationis vim ſuam exserant, et febrem nec non cutis inflammationem provocent; aut an totus morbus dicendus ſit conatus naturae aequabilem revocandi efficaciam, difficillimum est explicatu. Interpellationes conditiones esse videntur, e quibus Erysipelas verum pendet, ſeu ad quas tamquam ſymptoma refertur. Hanc cutis inflammationem non esse genuinam vasorum concitationem, ſed cum intentionibus alienis cohaerere, ex ejus decursu, exitu, et eo, quod quibusdam organis adstricta est, c ncludere possumus.

I. Haec inflammatio, quae, efficacia ea, cujus impedimento exstitit, restituta per ſe evanescit, nunquam celeriter medicamentis externis ſanari potest.

II. Morbus ſemper fere phaenomenis universalibus criticis, ſudore, urina, alvi profluvio decernitur, quae priorem functionum internarum laesionem et reditum ad efficaciam normalem probant.

III. Quodsi inflammatio in decursu impeditur, ad organa reproductionis, ad membranas cerebri, pleuram, tractum intestinorum et jecur transit.

Huc accedit *Sydenham*[1]) observatio, Erysipelas nonnunquam esse morbum epidemicum. His praemissis, ſi febris, quae ſecundum observationes autorum *Hoffmann*[2]) *Vogel*[3]) *Hufeland*[4]), ut in exanthematibus acútis, Erysipelati antecedit, decursus morbi et inflammationis rationem habemus, Erysipelatis cum aliis morbis exanthematicis ſimilitudo non est neganda. Febrim inflammationis eruptioni antecedere, argumentum magni momenti mihi videtur, Erysipelas pro exanthemate, minimeque pro inflammatione haberi debere. Alia est res in inflammatione, a qua febris excitatur et qua progrediente augetur. Ratione quoque causarum remotarum habita, morbis aliis cum exanthematicis, excepto contagio, convenit, nam causam eandem et Erysipelati et morbillis et adeo interdum Scarlatinae esse experientia luculenter docet. His observationibus moti auctores v. c. *Hoffmann*[5]) Erysipelas exanthema verum habuerunt, et nu-

1) opusc. p. 693.

2) System. l. c.

3) Handb. d. pract. Arzneiw. Th. III. p. 101.

4) l. c.

5) Med. System. p. 1. Cap. 13.

perrime hanc rem copiose *Harles* [1]) illustravit. Erysipelas Scarlatinae simillimum se praebet. Nam pariter ac haec stadio prodromorum, quod febris et inflammationis cutaneae eruptio sequitur, incipit. In utroque morbo, eruptione facta, febris desinit, et Erysipelas sicut Scarlatina ratione symptomatum externorum inflammationem cutis plane analogam efficit; utraque inflammatio in desquamationem cutis, quam universalia phaenomena critica comitantur, exit: in utraque proclivitas partes interiores petendi obvia est. *Schmalz* [2]) eadem de causa Scarlatinam Erysipelas universale nominare, facile est intellectu. Non minus ex his elucet, Erysipelas ab aliis inflammationibus multum differre. Nomen igitur Erysipelatis exanthematici, quo inflammationem cutis vulgo cum febre apparentem, certum et decursum et exitum habentem, oriundamque laesionibus corporis functionum comprehendo, non ineptum videtur. Erysipelas verum nonnunquam sine febre decurrere, non abhorret a vero, cum alia quoque exanthemata acuta, (*Frank* sequor) [3]) nonnunquam sine febri

1) Rheinische Jahrb. B. 3. St. 2. p. 120.

2) Versuch einer med. chir. Diagnostik. p. 233.

3) Epitome L. 3. §. 270. Nullum exanthema est quod non sine ullo febris vestigio interdum incedere etc.

oriantur. Denique quaestionis, an Erysipelas pustulosum a morbo ſupra dicto re vera differat, nec ne, responsio non ſupervacanea videtur. Ego Erysipelas pustulosum nihil aliud, quam gradum universalis praecipue topici mali vehementiorem habeo, quo exsudatio ſerosa ſub epidermide efficitur. Haec ſententia non repugnat experientiae; ſemper enim in Erysipelate pustuloso non ſolum febrim vehementiorem, quam ſaepius delirium et ſopor comitantur ſed etiam ſymptomata topica, dolorem puta ardorem et tumorem, vehementiora videmus. Haud parvum cutis vasorum excitatorum gradum ad exsudationem ſerosam provocandam requiri, in cutis combustione animadvertere possumus, cujus primo gradu inflammatio ſine pustularum formatione decurrit; ſecundo vero, vehementiori inflammatione apparente, exsudatio existit.

Causae remotae quoque multa praebent argumenta, Erysipelas verum perturbationes functionum organorum reproductionis antecedere. Dispositio ad gignendum Erysipelas ut omnes ſciunt, in iis praecipue videmus, quorum digestio et nutritio afficiuntur, in cachecticis, laxis, constitutione biliosa praeditis, aliisque, qui insignem ſensibilitatem cutaneam perferunt, qua de causa genus

femininum iique qui ſaepius jam cutis morbos tolerarunt, praecipue Erysipelati gignendo favent. Numerum quam magnum causarum occasionalium ſcriptores memorant, omnes tamen revocari possunt ad eas, quae cutis functionem easque, quae coctionis organa offendunt. Ratione modi, quo vim ſuam in corpus exserunt, irritamenta psychica et physica discernuntur.

Qua velocitate terror ſpasmum cutaneum efficiat, inter omnes constat, et efficacia ad gignendum Erysipelas exinde elucere videtur. Ira quoque, moestitia et indignatio mirifice et velociter jecoris ſecretionem interpellant, Erysipelasque provocant. Omnia haec irritamentis psychicis adnumeramus. Inter physica prae ceteris aër non ſolum temperie ſed etiam constitutione ſua efficax est, quod Erysipelas epidemicum testari videtur. Alia irritamenta ſunt acria varie ingesta: pinguedines, caro rancida, pisces nonnulli, et mytili, praesertim hepar ſquali catuli. Adeo nonnullis hominibus ea in est idioſyncrasia, ut ſi carne anserina, cancris, aliisque animalibus vescuntur, ſtatim Erysipelate corripiantur. Non minus alimentorum non digestorum, bilis, ſucci gastrici, ſubstantiarum putridarum, vermium, materiae alienae coacervatio pro causis occasionalibus habentur.

Denique profluvia ſuppressa ut menstruorum, ab auctoribus causis remotis adnumerantur. Erysipelas praecipue provocare videntur, dum impetum humorum versus digestionis organa, quibus functiones intercipiuntur, producunt. Exemplum memorabile Erysipelatis ſingulis mensibus dum ſanguis per menstrua haud responderet redeuntis *Heister*[1]) refert, quod jam antiquus Hippocraticae ſcholae auctor innuit[2]). Nasci enim dicit in ilibus erysipelas, in ulcus abiturum; a quo ſanguis fundatur menstruus. Praeterea ſcriptores magnum numerum irritamentorum cutis mechanice agentium, laesiones nimirum, combustiones, insectorum morsus, insolationem, vegetabilium acrium et animalium esum enumerarunt. Haec omnia inflammationem erysipelaceam, ſed nunquam Erysipelas verum (quod *Rust* ſtudiose refutat) efficere posse, persuasum habeo.

Morbi prognosis.

Experientia docet, Erysipelas verum ſemper fere bene decurrere et rarissime modo periculum ostendere, qua de causa augu-

1) Wahrnehmungen. p. 693.

2) Hipp. de morb. mul. l. p. 591. ed. Foës.

rium bonum vulgo enunciatur. In ſpecie vero prognosis pro loci indole varia est:

a) quem Erysipelas occupat; hac ratione Erysipelas quod caput tenet, consensu facile cerebrum correpturum, pejus est extremitates invadente, quod jure melius habemus.

b) pro charactere febris comitantis. Optima est prognosis, ſi febris ſimplex apparet et Erysipelas huic febri conjunctum celeriori passu ad exitum legitimum perducitur. Anceps est prognosis, ſi febris vere inflammatoria adest, quia inflammationes verae lubenter cum Erysipelate ſe conjungunt. Mali aliquid portendit conjunctio febris putridae et nervosae.

c) pro constitutione aegroti; quo validius corpus ante morbi eruptionem erat, eo melior est prognosis.

d) pro gradu universalis et topici mali; nam e parvo mali gradu exitum opportunum colligere possumus.

e) pro complicationibus; quodsi Erysipelas alio cum morbo conjungitur, aegrotus ſemper in periculum incidit.

f) pro aetate aegroti; adulti morbum facilius vincunt, quam infantes.

g) Haud minor ratio ambitus habenda est; quo major enim est ſuperficies, quam malum tenet, eo gravius functio cutis interpellatur, eoque majus est periculum. Inprimis in combustione cutanea hoc observare possumus, ubi periculum non a combustionis gradu, ſed ab ejus ambitu pendet.

h) Tandem pessima est prognosis in Erysipelate repulso, dum cerebri, jecoris, pulmonis et intestinorum inflammationes, quae ſummum periculum ſecum ducunt, provocat.

Morbi divisio

Tantus est numerus Erysipelatis ſpecierum apud ſcriptores, ut eas ſecundum logices regulas considerare ſane difficillimum ſit. Inde id autem repetendum mihi videtur, quod plures auctores varios morbos hoc eodem nomine comprehendunt.

Damnum vero maximum ex morborum confusione cum Erysipelate, quoad curationem oriatur, necesse est.

In divisione ipsa Erysipelas exanthematicum a ſcriptoribus tanquam ſpecies consi-

deratur, quam *Richter* [1]) Erysipelas universale, *Burserius* [2]) Erysipelas protopathicum essentiale et *Vogel* [3]) Erysipelas ſpontaneum appellant. Hoc modo ſequentia discernenda ſunt:

1) Respectu loci occupati, Erysipelas faciei etc.

2) — — morbi gradus: Erysipelas accidentale et habituale, quo posteriori medici Erysipelas ſaepius rediens comprehendunt.

3) — — characteris febris comitantis.

   a) Erysipelas cum febre ſimplici ſeu pyrexia.

   b) — — cum febre ſynochica ſeu inflammatoria.

   c) — — cum febre typhosa ſeu asthenica, quae vel ſub Typhi nervosi vel putridi ſpecie incedit.

4) — — numeri aegrotorum: Erysipelas exanthematicum epidemicum et ſporadicum.

---

1) Specielle Therapie. B. 2. p. 187.
2) Institut. l. c. §. 19.
3) de cogn. et curand. affect. §. 248.

Medela

Quamquam in generali hujusce morbi medendi methodo tres quidem indicationes proponi possunt, quae ſunt:

1) causarum remotio.

2) febris ſecundum characterem dynamicum curatio.

3) virium ubi convaleſcit aeger, restitutio, et extinctio dispositionis ad recursum morbi; tamen medicamentorum usus melius ſecundum ſtadia definiendus est.

Cura ſtadii primi.

Cum morbum hoc ſtadio ſymptomata comitentur, quae alios quoque morbos antecedunt, medicus modo medicaminibus, ſtatui cujuscunque temporis accommodatis uti debet. Quodsi apparent ſigna ſordium gastricarum, ut lingua obducta, nausea, anorexia, vomituritio, ſensus plenitudinis praecordiorum, extensio et durities hypochondriorum, ſapor depravatus amarus, halitus foetidus oris, ructusque ſimilis, emeticum adhibemus; praecipue tartarum ſtibiatum in forma ſolutionis. Hoc aegrotum non ſolum levat, ſed etiam morbi eruptionem

impedit, et ob ſalutarem effectum in cutem et organa digestionis omnibus remediis praeferendum est. Quodsi frigus corpore exceptum fuerit, diaphoretica mitiora: infusum flor: ſambuci, herbae menthae, Liquorem ammonii aceticum imperaveris. Si ſordes gastricae intestina crassa occupant, quod flatibus borborygmisque patet, purgantia e numero ſalium ut Natrum ſulphuricum, ſal amarum, Infusum ſennae compositum, magis commendanda ſunt.

Stadii ſecundi cura.

Si morbus hoc in ſtadium ingressus est, febris ſimplex neque complicationes adsunt, fere nihil nisi victu modice calido opus est. Quodsi febris vehementior magis ad Synocham proclivis apparet, quod pulsus durus, magnus, tensus, plenus, aestus insignis, ſitis, ſiccitas linguae, deliria, urina parca ac rubra, corporis volumen auctum, rubor faciei et totius corporis manifestant, methodus antiphlogistica ſensu latissimo locum habet: ex. c. venae ſectio; ad usum internum Nitrum et ſimilia remedia. Plerumque ſtatus gastricus in omnibus Erysipelatis febribus ſimul adest; tunc resolventia, ammonium muriaticum, tartarus ſtibiatus in dosi-

bus parvis cum medicaminibus ſupra dictis conjungenda ſunt. Quodsi febris nervosa, quam e magna lassitudine et languore corporis, facie pallida collapsà, calore cutis maiori, pulsu debili frequenti inaequali, lingua ſicca ac aspera et reliquis febris nervosae ſymptomatibus cognoscimus, Erysipelas comitatur, irritantia, ut infusum valerianae, angelicae et, respectu causarum remotarum cum resolventibus et diaphoreticis conjuncta, adhibenda ſunt. Interdum vero febris Erysipelas comitans in decursu morbi characterem putridum induit, hic ut therapia febris putridae docet, conjunctione remediorum antisepticorum removetur. Tegumento partis affectae levi excepto, nihil imponimus. Omnibus enim remediis calefacientibus inflammatio augetur, quia ſanguinis congestionem in cutem maiorem faciunt.

Stadii tertii cura.

Cum Erysipelas hoc in ſtadio magnam interiora petendi proclivitatem habeat, omnia irritamenta physica et moralia ſtudiose evitanda ſunt. Si febris, eruptione Erysipelatis peracta (ut rarissime modo fit) adhuc adsit, ſecundum characteris varietatem eam tractamus. Apparentibus perturbationibus

criticis, quas ſub fine hujus ſtadii ſaepius videmus, medicaminibus rei convenientibus ſustentantur. Repulso Erysipelate applicatio vesicatorii, cucurbitularum, frictio ſcopula ſetacea partis affectae ad usum externum; ad usum internum vero Camphora, Moschus aliaque ab *Vogel* [1]) *Consbruch* [2]) aliisque commendantur.

Stadii quarti cura.

Praeter victus rationem convalescentibus vix quidpiam est praescribendum. Consistit autem victus hujus modi in cibis nutrientibus facile concoquendis, in assumtione moderati vini ſive fortioris cerevisiae, in motu corporis viribus accommodato. Contra majorem labem digestionis et totius corporis, tonica et aromatica remedia adhibemus: Calamum aromaticum, corticem chinae, Tincturam rhei vinosam et extracta amara. In cura externa morbi, exitus varii rationem habemus. Saepius enim tumorem oedematosum partis antea affectae Erysipelas relinquit, quem eo curamus, ut ſpecies aromaticas cum Camphora imponamus.

---

1) Cognoscend. et curand. m. §. 252.

2) Klinisch. Taschenb. p. 391.

Ulcera postremo ſuperficialia et gangraena ſecundum leges chirurgicas tractanda ſunt.

Dispositionem ad Erysipelatis recursum pro varia indole abolemus; contra ſensibilitatem cutaneam auctam balneis martilibus utimur: obstructiones viscerum resolventibus ſanamus, et haemorrhagias ſuppressas aptis remediis revocamus.

CURRICULUM VITAE.

Ego Friedericus Kistenmacher, evangelicae confessioni addictus, die ſecundo mensis Aprilis anni millesimi ſeptingentesimi nonagesimi ſexti, Templini, Marchiae oppido, patre Philippo Kistenmacher, matre Augustina, natus ſum. Usque ad decimum ſextum vitae annum domi parentum vixi, elementis, quae litterarum ſtudium antecedunt imbutus, tum a doctore Kolbe, medico practico in chirurgia ita eruditus ſum, ut anno millesimo octingentesimo decimo tertio, quo bellum contra gallos exortum, chirurgi munere in legione ſeptima marchica fungi licuerit. Anno millesimo octingentesimo decimo ſeptimo, bello finito, in ſeminarii medico-chirurgici militaris alumnorum numerum atque ſerius Guilelmo-Fridericiani receptus ſum, quo per triennium medicinae disciplinas frequentavi, denique per dimidium annum chirurgi munere inferioris in caritatis nosocomio Berolini functus ſum.

Anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto cursum anatomico-chirurgicum nec non medico clinicum licentia Perill. Wiebel ſummi praefecti rerum medicinalium exercitus Regis Borussorum absolvi.

Interfui autem per ſtudiorum meorum curriculum his illustrium ac celeberrimorum virorum praelectionibus; Cel. Turte de Physica et Che-

mia; Ill. KNAPE de osteologia, Syndesmologia, Splanchnologia, Medicina forensi ac arte formulas medicas conscribendi, Ill. RUDOLPHI de Anatomia universa et Entozoologia me instituerunt. Artem cadavera rite secandi Ill. viri RUDOLPHI et KNAPE monstrarunt. Physiologiam Cel. OSANN; Therapiam generalem ac specialem nec non Pathologiam generalem Cel. FR. HUFELAND; specialem nec non morbos syphiliticos curandi Ill. HORN; Materiam medicam Cel. OSANN me docuerunt. In Chirurgia et Acurgia Ill. RUST, GRAEFE ac Cel. KLUGE praeceptores fuerunt; neque abfui ab eorum exercitationibus clinicis. Artem obstetriciam, ossium morbos, nec non artem fascias applicand Cel. KLUGE; Ophthalmologiam Cel. JÜNGKEN; morbos infantum curandos Cel. RICHTER mihi tradiderunt.

De clinica medica Perill. HUFELAND et Ill. BEUMANN me instituerunt; denique Erfordi, ubi in tertia tormentariorum legione, chirurgi inferioris locum administro, praelectiones botanicas Cel. BERNHARDI frequentavi.

Halae, typis Hendelianis.

THESES.

I.

Amputatio interdum febrim hecticam ſanat.

II.

Metastasis lactea perperam ſtatuitur.

III.

Inter crisin et materiam criticam magnum est discrimen.

IV.

Organorum functiones a ſystemate nervoso praeprimis pendent.

V.

Nullum discrimen inter remedium et venenum est.